

SÉCULO
XVI

RESERVADO

N.º

6109-108


VIII CENT. DA
RECONQUISTA
CRISTA DE ÉVORA


— . —

EXP. BIBL. E ICON.
B. P. E. — N.º 356



Librairie FERIN & C^{ie}





508 ✓



C. 5-3.

Chr. 508

6.103

6.104


6.105

6.106

6.107

6.108





62



L. ANDR. RESENDII
LVSITANI,

Oratio pro rostris pronun-
ciata, in Olisiponensi
academia, calēd.
Octobrib.

Ms. XVI
6.108


M.D. XXXIIII.



DIVI EMANVELIS. P. F. INVICTI. F.
DIVO IOANNI, LVSTIANO
RVM REGI. P. F. INVICTO,
L. ANDR, RESENDIVS,
. S.

Orationem a me nuper habitā, pro rostrisq;
in Olisiponensi academia pronūciatam, v^o
gētib. amicis, ⁊ bona scholasticorū parte, inui
tus feci vt typis excudendam traderem. Quū ob alia
multa, tum vero ob id marīne, quod ineptissimos
ad eā rē typos essem habiturus. Eam tuae augustiss.
maiestati ostendendam iudicaui, non quod dignam
esse mihi persuadeam, sed quia tibi vni, qui marīne
omnium, literarum literatorumq; patrocinium susce
pisti, non modo ego tuae maiestatis alumnus id de
beo, verum etiam quotquot literas profitentur. Et
obiter, vt quū turpissimā adeo typographiam in v^o
be omnium clarissima, perspereris, quam in animo
instituiisti nob. dare, quum de ea re mentionem fecisse
mus, adceleres. Vale.





EVSI NERACLEOTEM QVI
 id aetatis pictoribus caeteris lōge anti
 stabat, a Crotoniatis magno conduc
 tum pretio, scribit *Licero*, rhetoricoꝝ
 secūdo, vt illis tēplū Junoni reginae
 sacrū, quod summa colebāt religione, tabulis egregie
 pictis locupletaret. Sapiēter illi, me *Hercules*, ⁊ ma
 gno posteris documēto, aedem Junoniā, diuinae alio
 qui numine satis insignem, nobilitare studuerūt. Id
 enim sapere est, vt, vbi praeter caeteros egregiū opus
 quodpiam moliri velis, artificem, ea in re multo alijs
 praestātiorem, adhibeas. Hoc vos exemplum nobile
 prudenter admodū sequutos esse, patres viriq; claris
 simi, certo adseuerarē, nisi in tanta mediocritate mea
 eas mihi parteis in dicendi facultate viderer adsume
 re, quas tum in pictura Zeusi di omnes merito tribuif
 sent. Ut cūq; tamen res est, Eboensem municipem,
 municipales Olisiponēses huc vocastis, opinione eru
 ditionis vtinam nō falso cōcepta, vt tēplū vobis *Pal*
ladi sacrū, si nō id quod vester cōditor *Ulysses* quum
 p̄mū vrbis vestrae fundamēta iaceret aedificauit, id
 certe quod *Diui illius Joānis pi*, felic. inuicti filius,
Diuius Henricus in vrbis omniū aetate nostra claris
 simae d̄cus ⁊ ornamētū extruxit, nō ea quidē pictura
 qua parietestabulaeq; vestiūtur, sed coloribus sermo
 nis, ⁊ linguae penicillo depingerē. Itaq; sane picturae
 alterius tēplū hoc eget, in quo, nō muta simulacra,
 non infantia signa per aras populo conspicienda offe

runtur, sed viua doctissimorum virorum ingenia, vti
ua candidissimaq; iuuenum pectora, qui in liberaliū
disciplinaz & ἐγκυκλοπαιδίαῖς castris, vti par est,
liberalis militiæ stipendia merent. Et vt de pictura
tandem sileamus, atq; quod res est eloquamur aper-
tius, maiorū nostrorū instituto, & omniū academiariū
recepta consuetudine, quum redeunt calendæ octo-
bres, & lucubrationib. tempus idoneum, adsumus
intermissa paulisper literarum studia feliciter auspica-
turi, quae quoniā libero homine dignissima sunt, nō
ab re liberaliū iam olim nomen sibi vindicant. Quae
si cui demas, claro alioqui & genere, & morib. & rebus
gestis, nescio quonam pacto fiat, vt istius modi glo-
ria despectui sit, & quadam ignorantiae nebula obscu-
retur. Contra, si cui addas, is, vel plebeius, & infimae
classis homuncio, emergit, ac inuitis natalib. quo in
ingenij excolendi palestra fuerit exercitior, eo efica-
cius nobilitatem & famā ipsis regib. inuidendam non
sine immortalitate nanciscitur. Et quoniam me dulcis
quidam dicendi ardor inuadit, conferamus, si libet,
cum caeteris humanis reb. studiorum dignitatem, ne
mo erit tā hebes, tā peruersi & futilis iudiciij, quin pro-
tinus in his humano animo, hūana mente dignissimū
oblectamentū inueniat, & ipsius poene diuinā beatita-
tis imaginē, in illis, multa cū baeluis cōmunia, multa
vix infunatib. & imi subsellij viris honesta, inhonesta
liberis & summo loco natis, prope omnia, animorū di-
uinitate indigna. Aditto iam arteis istas, quas ἀπὸ

63

Το μηχανομαχικὴ μηχανικὰς, idest a machinor
 machinatrices graeci dixerunt. Abiitto vilia quae-
 dam ministeria magis quam arteis, quae nemo vn-
 quam sanus in hanc contentionem adduceret, belli
 gloriam, et pulchras diuitias terrarum dominas, li-
 bra rationis et dempta mentis caligine si consideres,
 nihil quod ad bene beateq3, aut saltem dulciter viuen-
 dum attineat, inesse in his repereris. Nam bella gere-
 re, feris quā hominib. propius, latinae philosophiae
 eloquentiae q3 parens iudicauit. Certe diuitias, sine
 animi saeua quadam anxietate, et carnificibus curis,
 ne iam miserrimam seruitutem cominemorem, nemo
 vnquam parauit, nemo vnquam possedit. At, litera-
 rum studia, labores habent dulcissimos, dulciores
 fructus, curas animi recreatrices, et ob veri indaga-
 tionē perspicientiā ue, possessionē diuinitati simillimā.
 ¶ Algedum, grammatices peritiā, vt hinc initium
 sumamus, quanti, qui recte eam calet, venditā sibi q3
 detractam vellet? quanti emptam qui non calet? Erūt
 fortassis, qui minimo. Sed ij, si qui sint, lōge ab hu-
 manitate recesserunt, et merito quoties de summa re-
 rum pulchritudine agitur, nec in consultationem ad-
 mittendi, nec audiendi in electione sunt, imo potius,
 tamquam pronae in terras animae et caelestiu inanes,
 procul ablegandi. Nec ego heic eam graminaticen
 intellego, quae lōge lateq3 diffusa per scriptorū omne
 genus libero pede grassatur, et quidquid literis con-

stat, suo sibi iure vindicat. Hoc enim modo grammaticos, id est literatos, prisci homines in graecia vocauerunt, qui postea sapientes, et deinde sapientiae amatores fuere adpellati. Nam sic, grammatices regnum in monarchiam propagaretur. At eam ita praedicandam sumo, ut a minoribus, finibus quibusdam suis, certisq; limitibus conclusa, definitur, ut ea professio siue Diomede auctore, in horisticen et eregeticen, siue auctore Fabio in methodicen et historicen, id est in recte loquendi scientiam, et poetarum enarrationem dividatur. Quae tamen, ut ipse ait, plus habet in recessu quam in fronte promittit, quum scribendi quoq; rationem coniunctam habeat, et emendatam lectionem iudiciumq; postulet, tum musicen, tum siderum rationem, tum philosophiam ipsam peruadat, ut hinc adpareat quam rancidi, quam rerum expertes philosophastri quidam nostrae aetatis sunt, qui hanc artem ut tenuem et ieiunam cauillantur, quae vel sola, ut Fabij adhuc verbis inhaeream, omni studiorum genere plus habet operis, quam ostentationis. Eius autem ignorantia quantas literariae rei tenebras obfuderit, pronius mihi esset deflere, quam Hercules enumerare. Quid enim aliud dolemus, quam ab hinc annos amplius mille, ad Bothorum videlicet eruptionem, latinae graecaeq; elegantiae interneciuam cladem, ex qua sequuta sit insignis etiam artium aliarum inscitia? Pro, foeda tempora, quorum non sine maiorum nostrorum

64
contumelia, non sine nostro dolore recordamur, non
sine turpitudine summa obliuiscimur, nō sine maiore
nos eoz nō taedet miseretqz. Quae vos egregij adoles-
cētes si saepe, quo dignū est iudicio, in memoriā reuo-
cetis, optimā huic arti operā nauabitis. Nō enim sup-
ficie tenui tractanda est ars omniū aliarū radix, quae
per omneis alias ingeniose vagatur, instar apiculae
Hymettiae, quae vernātib⁹ agris inerrās, nūchos,
nūc illos flores depascitur. Nec profecto ferendi sunt
male feriatī quidā, qui vix dū vnū alterz ve ānū leueis
nescio quas operas ei rei destināt, tū perinde ac omnē
artis difficultatē euicissent, omneis recessus, omneis la-
tebras peruestigassent, grammaticorum nomē impu-
dentissime ⁊ elato nimis supercilio sibi adrogāt, atqz
euestigio quaeuis alia studia, temerarie dicā an stul-
te magis: adoriūtur. Et postea miramur si haec aetas
nullos serio doctos, nullos non ridiculos scriptores,
vel certe admodum quam raros habeat. Haec est il-
la artium corruptela, haec barbariei mater ignauia.
Adcedit ⁊ aliud malum, alia etiam pestis, quod libe-
raleis arteis ingenui ⁊ liberi homines quiqz diuitijs
ac fortunae strepitu caeteros antecirēt, adspernati sūt,
illisqz adhaeserunt sordidi quidam, aut verius popu-
li mendicabula, non eo quidē animo quod ingenuae
essent, sed bona re male abutentes, inde famem eri-
mere constituerunt. Quo factū est, vt illi ob contem-
ptū ⁊ animi molliciē strenue ignari ⁊ infātes, hi ob rei

familiaris angustiam, vendibiliorem artem quaeren-
tes, abortiuus, vt ita dicam, studijs vir semidoc-
ti euaderent, vtriusq; autem barbaria indecores. Quem
vos errorem ingenui adolescentes oro obtestorq; ne
sequamini, fidem vestram doctissimi viri, quib. eru-
diendorum iuuenum cura impendet, fidem inquam
vestram ploro et imploro, ne patiamini bona alioqui
ingenia misero et nebuloso errore diutius inuolui,
nunc praesertim, quum tota fere, quaquapater, Eu-
ropa resipiscit, quum ad antiquam illam seculi eru-
ditioris felicitatem, vniuersae terrae, vel olim bar-
barissimae, adspirant. Idq; fidelium magistrorum
cura, qui erudiendae iuventutis causa non aegre tu-
lere alios ad id munus adscisci, qd praestare ipsi non
possent. Quod si qui fuerunt peruicaces adeo et refra-
ctarii senes, vt quod ipsi non didicissent, tegenda igno-
miniae suae causa, iuniorib. scire per inuidiam non
permitterent, vrbium magistratus inuitis his litera-
riae rei publ. tyrannis, doctissimos quosq; adcersen-
dos stipendijs non mediocribus curauerunt. Pos-
sem vtriusq; rei exempla non pauca in medium ad-
ducere, non iam ex Italia ipsa studiorum altrice, ve-
rum etiam ex Gallia, ex Britannia, ex Germania,
nostra hac aetate cum Italia deliterarum palma con-
tendente, et deniq; ex Sarmatia omnium quondam
terrarum barbarissima. Quae si nos exempla non mo-
uent, quoniam externa sunt, a vicinis saltem genti-

bus nō in laudata aemulatiōe cōmone fieri poteram?
At qui nationes hae, neq3 nos ingenio, neq3 aurae cle
mētioris felicitate vincūt, cura tantū ⁊ studiorū patie
tia lōge superant. Itē incipud illas docti homines qui
ingenij sui monumētis immortalitatē sibi, patriae cla
ritatē cōparent, quotidie exoriuntur, quorum quum
scripta legimus, nostrae nos barbariei, nostrae pu
dere segnitiae profecto deberet. Sed praestat oratio
nem cohibere, vt ad alia veniamus. Vereor enim
vt mihi tempus satis ad dicendum sit, si latissimum
conquestionis campum peruadam. Illud admonere
subinde, imo inculcare non desinam, eos qui serio li
teras tractare velint, serio grammaticis operam da
re oportere. Quod si latinis graeca coniungant, ma
gnū literariae rei attulerint adiumentum. Nam ne
mo sine his etiam literis solidam sibi doctrinam ad
roget, quarum ignorantia clarissimos alioqui aucto
res, virosq3 doctissimos, non semel iterum ve, hallu
cinari coegit. Siue enim profana studia, siue sacra
respiciamus, vbiq3 graecarum literarum peritia,
nos magistra comitabitur. Linguam enim latinam
firmabit, edocebit poesin, dialecticē enodabit, mō
strabit rhetoricē, physicē peruestigabit, compo
net ethicē, politian instituet, christi optimi maximi
sacramenta diuinissima referabit, heroum religionis
nostrae scripta veneranda euoluet felicissime, per diui
nae legis interpretes facundissimos, grauissimos, vi

gil & experrecta vagabitur. Ad quae percipienda cō-
moda, vos hortor iuuenes candidissimi, toto pecto-
re, totis viribus anhelate. Nulla vos rei difficultas
absterreat. Non absterrebit autem, si quantum decus
ob id vobis adcessurum sit, vobiscum ipsi reputabi-
tis. Non sum nescius per multos fore, qui vel studiū
hoc rē inanē & leuiculam esse garriant, vel totam illi
aetatem impendendā mentiantur. Rursus per mul-
tos alios, qui proeuiorem honestius aetatem ercu-
sent. Verum illis reuincendis, vnus nobis Hierony-
mus satis est linguarum patronus, siue vnus Ho-
ratiū, qui nos exemplaria graeca, nocturna versare
manu, versare diurna, fidelissime praecepit. Si vero
qui aetatem excusant, audiant. *Ab. Catonem in se-
nectute graecas literas se didicisse gloriantem. Vidi
ego in celebri Parrhisiorum academia sub hoc Ni-
colao Clenardo, qui erudiendo Henrico principi,
regia liberalitate in Lusitaniā est aditus, senes quin-
qua- uinta annis maiores, prima graecarum literarum
fundamenta iecisse, & gnauiter nec sine laude fuisse
progressos. Verum non ego senes ad hos nunc labo-
res reuoco, qui tamen exemplo iunioribus praeluce-
rent, & aptiori ad hoc munus aetati stimulos inijcerēt
marinos. Ipsam iuuentutē compello, eos ipsos ado-
lescentes, quibus & mollius ingenium, & laboris pa-
tientia maior inest, huic oneri destino. Haec ubi per-
didicerit noster adolescens, magnam disciplinarum*

66
omnium sibi fenestram aperuerit. Hinc ad diuinam
poesin facilioꝝ excursus, hic primus ad oratoriam gra-
dus, modo ad sit dialectices cognitio, sine qua fru-
stra in quouis eloquentiam quaeras. Atqui quum
dialecticam nomino, non eam intellegatis more cras-
sorum istorum, qui nusquam non homines asinos esse
clamant, qui Stetorea voce, mendosissimis syllogi-
smis, fictis, monstrosisque vocabulis, importuni, mo-
lesti, obstreperi, ubique inscitissime iurgia blaterant,
Atque eo deuenere, ut delirijs quibusdam, et anilibus
nugamentis, artem nobilissimam foedauerint. Lice-
ro quosdam aetatis suae dialecticos derisit satis, qui-
bus nomen suum eloqui per suas amphibologias non
liceret. Quid si nostri huius temporis ineptissimorum
sophistarum portenta vidisset, facturum illum putatis?
Ego sane istos taleis dialecticorum nomine nunquam
dignatus sum. Sed quum dialecticos dico, eos intel-
legi volo, qui vicini rhetoribus sunt, ab illis tantum
diuersi, quod contenti vel nudam veritatem probare,
verborum lucem et ornatum rhetoribus, dicendi que ve-
nustatem reliquerunt. Eam ipsam dialecticen dico,
quae veritati lumen adfert, nervos orationi, argu-
menta inuenit, fidem dictis acquirit, sine qua ora-
tio exsucca, humilis, inepta, inconstans, dissolu-
ta, quantum vis alioqui verborum ad munculo pha-
lerata, redderetur.

Secundum hos, rhetores, vel si latine mauultis, oratores sequuntur, quibus cum dialecticis argumē tandi ratio communis est, dictionis ornatus peculiaris, orationis lumina multiformia, finis artis persuadere. Hanc artem nemo sibi non optat, sed nihil aliud quam optat. Perdiscendae laborem rari admodum sunt qui subire velint. Imo nulli eam contemnant magis, quam ecclesiae apud quos orandi ad populum consuetudo permansit. Quare mirandum non est, si ineptissimos ubiqz gentium contionatores habeamus. Spreuerunt enim artem contionandi magistrum. Si qui vero sint, qui naturae adiuti benignitate aliquod ex contionibus nomen sint adepti, heic mihi considera, quales hi futuri essent, si ingenitam docilitatem arte et industria iuuandam poliendamqz curarent. Hi tamen et illi, magnum operae pretium facerent, vel ut aptiores essent, vel ut minus inepti. Nemo enim in tantum hominem eruit, in tantum bruis adcessit, ut ea arte quae linguam acuit, format os, gestus componit, inuenit quae dicenda sunt, conlocat ubi prosint, tollit quae dicta oberunt, adfectusqz moderatur, multum rusticitatis sibi ipsi non demat, quando bruta etiam videmus arte cicurari, feritatemqz ponere. Sit tamen hoc illorum fatum, qui si quando quur nō rhetoricā didicere, interrogētur, fortiter et magna, ut ipsi putāt constantia, ut ego tñ iudico, proteruia, respōdere p se quisqz solent, chřianus sum, nō

57
Ciceronianus. Len vero cū religione pugnet dictio-
nis ornatus. Vobis iuvenes egregij, qualem cumq;
scientiam sequendam vobis proponitis, quamcumq;
sectaturi estis studiorum partem, ignaris huius esse
nō licet, quae alijs lucem adfert admirabilem. Certo
enim videtis mediocriter eruditos, modo dicendi ar-
te vel leuiter, adspersi sint, maiore semper fuisse & esse
in pretio, maiore vulgo obtinere fidem, quā interim
viri doctissimi, verū loquēdi peritia parum exercitati,
propter oris infantiam contēptui habeantur. Nā quid
ab istis mutis & infantib. statuīs sperare possis, aut de-
beas? Quoniam tamen haec, optime ipsi perspiciatis,
& meliora iam tempora melius in desperare dere litera-
ria commune faciunt, transibo ad philosophiae stu-
dium multiplex.

¶ Ea sicuti maiores nostri voluerunt, diuiditur
ὅμοιον καὶ ἑτερόιον, idest in naturalem & moralem
Ea pars quae a natura nomē adcepit, rerum causas
& initia ex quibus nascentur omnia, naturaeq; laten-
tia secreta disquirat. Quomodo statim temporibus an-
ni vices mutantur, quoniam pacto terrae fructificent,
Quur aliae alijs laetiores, vnde amnes, vnde fontes
diuersis terrarū tractibus varij, quur heic erūpāt cali-
di, illic frigidi, heic dulces, illic amari, heic vitrei, il-
lic caerulei. Quid faciat pluuias, quid grādinē, vnde
fulmīa, vnde tonitrus. Qui nā solis lūaeq; motus, qui
erronū labores, quae nā astrozū leges, q̄ potestates,
Quātū ab ijs hūana corpora adficiāt, sic adfectis, q̄d

medeatur, Et etiam pars humanam hanc compo-
sitionem, hanc in hominib. discordiarum elementorū cō-
cordiam persentiscit, siquid illam turbat, remedium
quaerit, ab herbis, ab animalib., a pharmacis, nūc
deducto cibo, nunc addito, modo blandiens, modo
adurens, modo persecans. Credo medicinā me nūc
narrare intelligitis, quae totam poene philosophiā ex
haurit. Quuius cū cello eius artis scriptore nobilissi-
mo facimus parteis treis. *διατροφικὴν*, quae victu,
φαρμακευτικὴν, quae medicamētis, *χειρουργικὴν*,
quae manu medeatur. *Mostrae* hui⁹ aetatis
medici, hanc extremā tāquam vilem reijciunt in eos
quos ipsi per fastidiū chirurgos vocant, homines sto-
tius philosophiae ignaros, sicut etiā herbarū planta-
rūq; cognitionem ad se pertinere non putant, magno
tamen humani generis incōmodo. *Properant* enim
ad lucrū, quuius vnus causa sectantur arteis, vt ini-
tio dixeram. *Id* quo citius possint facere, nobilissimā
philosophiae partē, quuius inuētū non absq; ratione
dijs immortalib. tribuit antiquitas, morbis depellen-
dis, sanandis vulneribus, tutanda valetudine, rem
semper vnā, in diuersa digessere. *Sequuta* deinde est
maior adhuc impudētia, vt ne has quidē medicinae
quodā vnus solitarias parteis, ediscere homines per-
ditissimi consueuerint, sed vir artis lumine salutato,
aegris quibuscumlibet magna audacia manus adinoue-
re non dubitent, vt inscitiae suae, graui mortalium de-
trimento, nos, sero tamen, admoneant. Sed redea-

mus ad philosophiae partē illam alteram, quam morum esse magistrā diximus, quū Socrates princeps est, qui ut in *Licéronis* academicis *Varro* adserit, primus philosophiam a rebus occultis et a natura inuolutis auocauit, et ad vitam cōmunem adduxit. Hanc, si nostris priuatis rebus ad commodamus, *οικονομικὴν* dicimus, si publicis et ciuitatum gubernationi, *πολιτικὴν* nominatur. Hars illa, bonos viros efficit, complectitur enim officia, virtutes sequēdas proponit, animi leuat aegritudinem, et ad vitae rectitudinem semper adhortatur. Haec altera, vitae cōmunitatem conseruat. De qua quum loquēdum est, primas legib. concedamus oportet. Legib. inquā scriptis, quib. salutaria vitae cōmunitati sciscuntur, quasq. homines sapientissimi ob id sanxisse credendi sunt, ut ciues inter se conuenienter naturae aut sua spēte viuerent, si aequi essent, aut certe viuere cogerētur, si iniqui. Nam iniqui ciues, et qui ab inferendis iniurijs animū non abstinere, leges sollicitauerunt. Non quod ante scriptas has leges, nulla esset lex. Est enim lex aeterna quaedam, quae, ut *Licero* lib. de legib. secundo ait, vim habet ad recte facta vocandi, et a peccatis auocandi. Quae vis non modo senior est quam aetas populorū et ciuitatum, sed aequalis illius caelum atq. terras tuentis et regentis dei, quae simul cū diuina mente orta est, atq. a deo lex vera atq. princeps apta ad iubendum et ad vetādum, ratio est recta sumi Iouis. Atq. haec, a praedarissimo philosophiae

latinae principe ita dicta sunt, vt nihil cum nostro dogmate et religione dissideant. Sicenim maximus Christiani nominis propagator Paulus in Romanis scribit illam quum gentes quae legem non habent, naturae quae legis sunt, faciunt, ij legem non habentes, sibi ipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Sed quum naturae ipsius diuinam legem cordibus nostris insitam deseruere iniqui homines cōmunitatis violatores, coercendi legibus fuere. quoniam ipso Paulo auctore, epistola ad Galathas, lex propter transgressiones posita est. Et vt ad Ciceronem reuertamur, Constat profecto ad salutem ciuium, ciuitatūq; incolumitatem, vitamq; hominum et quietam et beatam, conditas esse leges. At vero leges, quo nam pacto seruarentur, nisi essent qui in hominum improbitatem vindicarent? Constituti ergo sunt et praefecti legibus conseruandis magistratus. Vereq; dici potest, vt alio loco Cicero ipse adfirmat, magistratū legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. Ex his quae dicta sunt, liquido adparet quā nobilis, quam necessaria conseruandis publicis reb. sit legum iurisq; disciplina, quam penitus ex intima philosophia hauriendā merito et vere idem Cicero iudicauit, vt inepti sint, qui mensium paucorū curriculo, magna confidentia iuris se consultos adpellari non modo patiantur, verum etiā postulent. In quo non tam peccant ij qui ius ciuile, quam qui pontificias leges profitentur. Illā quū pontificium ius ad religionem pertineat, de deo

optimo max. diuīsqz colēdis tractet, de faciēdis sa-
 cris de ceremonijs, de sacerdotuz rebus cōtrouersis,
 deqz expiādis in religionē hominū admissis, quae res
 summam habet in se tum dignitatem, tum apud om-
 neis venerationē, adeo tamen a plerisqz infelicitē id
 studium agitur, vt non iniuria in prouerbiū vene-
 rit, crassa canonistarum, ita enim vulgo nominātur,
 Adinertia. Sed esto, fuerit haec barbarae aetatis infe-
 licitas, at nunc quum eruditius reuērit seculum, totis
 viribus adniti decet, vt siquam male literis incumben-
 do maculam contraximus, eam nūc, optimam nauā
 do operā, deponamus. Laeterum, de theologiae stu-
 dio dedita opera huc vsqz silui, vt quae vestris animis
 praecipue mādanda esse iudico, ea sub calcem oratio-
 nis dicta, memoriae tenacius inhaereant, ac validius
 pulsent intellectum. Literarum studium, tum ad ani-
 mum recreandum, tum ad vitam politicē degēdam,
 tuendamqz inter sese hominum cōmunitatem, ab vl-
 timo fere orationis nostrae principio, per necessarium es-
 se satis ostendimus, vt, tametsi cum corpore animus
 moreretur, & nihil post funus homini superesset, tamē
 vitae innocenter & sine maleficio agēdae causa, litera-
 rum & philosophiae patrocinio egeremus. Elge nunc,
 quotus quisqz est, qui ab immortalī deo immortalem
 animum esse hominibus datū ignoret? Atqui, in hac
 animoruz immortalitate, aut illis bene sit oportet, aut
 male. Aut enim felicitatem habituri sūt, aut infelicitas

tem. Atrumlibet, nō nisi suo merito adipiscuntur. Est enim summa in deo aequitas, est rerum humanarum cura, sua sunt pietati, & impietati praemia. Haec nos si non credimus, in Epicuræorū dogma recidemus, & eorū qui religionem tollunt, derident manens, & ad inferorū, vt ipsi aiunt, fabulā decachinnātur, Quales fuit Lucretius qui primus philosophiam Latinis versibus comprehendit. De animorū autem immortalitate, de deo, de praemijs & spe bonorū malorū ve, cui potissime noticiam debeamus, quam ipsi deo, ac diuinis scripturis & effatis, quibus eruditi, ad pietatem religionēq; ad cendumur, vocamur ad felicitatem & diuinæ participationem naturae. Diuinarum autem scripturarum peritiā, maiores nostri theologiā nominarunt. Diuinæ vero scripturae, libris vtriusq; testamēti cōtinētur, quorū studio, praesertim nos qui sacerdotio fungimur, sincere admodū inhaerere deberemus. Labia enī sacerdotis custodiūt scientiā, & legē requirēt ex ore eius, qz āgelus dñi exercitūū est. Hoc quū a veterib. illis religionis nrae scriptorib. factitatū videamus, recētiōres nō ad curatius, sed acutius ista rimātes, multa quae ad ostētationē magis quā ad eruditionē pertinet, admiscuerūt. Atq; eo mali deuenimus tandē, vt relicto latissimo scripturaz cāpo, relicto dicendi nitore & elegantia, quā semper veteres cū pietate cōiūnere, meras argutias cōsectati, reginam disciplinarū omniū theologiā, metaphysicae seruire

cogamus. Esto tamen, patiamur inter diuinas literas, diuini Platonis, et magni Aristotelis scita commiseri, non spernamus optimorum philosophorum placita. Sermone autem elegantia quo merito repudiamus? Si melioribus studiis impedimento esset, non modo non admitti eam moderate ferrem, sed etiam auctor essem et terminandae. Verum ego non video quomodo cum diuinis literis pugnet eloquentia. Hoc certe perspicuum est, nudam veritatem et inornatam, ad persuadendum esse aptiorem, quam mendacium, quanto velis fucato verborum strepitu. Si autem mendacia ornate et eleganter scripta delectant, quanto, per deum immortalem, maius ornata veritas oblectamentum adferet? Quanto persuasibilis facilius? Meruissimus est in disputando Diuus Thomas, acerrime hostem urget, solertissime veritatem discquirat, ut homines Aristotelicorum adgnoscas, mirabiliter Scotus argutatur, nec sine laude incautum aduersarium deludit, ut merito subtilis cognomen vulgo iam obtineat, Sed quum in Tertulliani, in Lactantii, in Cypriani, in Hieronymi, in Augustini, in Chrysostomi, in Basilij, in Nazianzeni scripta nitidissima lector incidit, nolle et iuuat rapit, persuadet, adficit, delectat. Unde id quaeso, nisi eloquentiae cum pietate iunctae beneficium? Quare vos hortor adulescentes egregij, ut sapientiae semper, diuinaeque praefati Theologiae, dictionis elegantiam et nitorem coniungatis. Sed ego magni pelagus ingressus sum, in quo fuerit melius ac securius vela contrahere, et in litus ingenij cymbam adpellere.

Dixi de disciplinis, et quam sincere tractari a nobis
 fas aequumque esset, satis arbitror superque, nescio an
 apte etiam, disserui. Vestrum est fideli cura, et labore
 pervincere, ut Olisiponense gymnasium non minus
 quam urbs ipsa ubique terrarum fama celebreretur.
 Habemus domestica exempla, si extera parum ido-
 nea sunt, quae imitemur. Haec enim schola et nunc,
 et olim, viros literaturae non adspernandae aluit.
 Postea enim quam a Conimbricensi urbe translata
 huc fuit, quamquam rudiori seculo, Aluarum ta-
 men Delagium, Diuum hominem, e Diui francis-
 ci familia, scriptorem, quantum illa aetas patiebatur,
 non poenitendum, orbi dedit. Joannes item duos,
 quorum alter iuris, alter medicinae peritia, et sum-
 mi deinde pontificatus apice, suo uterque tempore cla-
 ruit. Adultum tamen nostra memoria Lusitanam
 nationem honestavit Hermicus Laiadus, poeta ve-
 teribus conferendus, quem Desiderius Erasimus
 acerrimi vir iudicii, alterque nostri seculi in iudicandis
 scriptoribus Aristarchus, ita laudat, ut eius de
 Hermico nostro elogium, magnam illis gentibus
 inuidiam faciat, quibus Lusitanum nomen gratiosum
 non est. Haec tamē idē vates egregius, antequā fatale
 sibi Italiam adisset, prima musarum stipendia in hac
 schola sub illi hominibz grammatico emeruit. Ad transibo
 Stephanū virū sine cōtrouersia grāmaticissimū, quē
 ego puer vix adhuc octennis audiui. Non Lodouicū

*Fr. Aluaro Lays
 Prius de Sylis
 auct. Concil*

*Joas 20 Pontifex
 Romanus
 de 80000 frat
 de Regras*

*Hermicus Coga
 207*

*Desiderius Eras
 mo*

*Stephanus
 Lays
 Decipulo de de
 filiano*

Tessiram illum, dubium iuris ne peritia, an grae-
ca latinaqz facundia z poetica sublimitate maiorem
Non Michaelē Silium musae vtriusqz alumnū
z totius antiquitatis calētissimum, qui Italiam totā
eruditionis suae rumore compleuit. Non Diodorum
Patriecum oratorem clarissimum. Non Franciscum
Bellum, summa elegantia, summa in scribendo fa-
cilitate, summa sapiētia virum, qui Christianae phi-
losophiae non cōtentus linguae nitorem addere, ma-
thematicis scriptis iā clarus, nomē suum ab obliuio-
nis iniuria vindicauit. Atqz hi, quos honoris causa
noiaui, omnes, z si postea vel ab Italis, vel a Parri-
sijis, maiorem eruditionem domum reportarunt, hu-
iustamen academiae alumnū, rudimenta illi z primor-
dia claritatis suae adcepta ferunt. Ad sunt huic etiam
nostrae orationi viri doctissimi, quos digito possem
commōstrare, quiqz inter claros nominarentur iustis-
sime, honestiustamen z pudentiū intelleguntur. Ve-
rum te Consalle Vasi, iuris cōsultorum cōsultissime
vel in os laudare nunquam ine pudeat, qui hanc insi-
gnem academiam Senensi gymnasio inuidere non si-
nis. Quuius doctrinae z eruditionis alūnus egregiū
gymnasiarcha nob. adest, doctor pars haud quaquā
mediocris. Digna profecto academia talibus viris,
digna tali academia vrbs est Olisipo, ciuium Ro-
manorum quondam municipium, cui Iuliae felicit-
is cognomen fuit, auctore Plinio, z passim heic mar-

*Deliquel
dalla
Bispo de
Talmego
ouyten
Carnal
Dio. La
cheo in
signe ora
de Nul
frin. p. 10
ent. 10. as
finiaq
Gonalo
Gallao
Couto*

mora inueniuntur in quib. saepe scriptum videre est,
FELICITAS IVLIA OLISIPO. Olisipo
inquam, quae vna nostro aeuo Romanam gloriam
et triumphos adaequauit. Regina vasti Oceani, super
ba Mauritaniae, Atlantidis orae, Aethiopiae, Ara
biae, Persidis, Indiae, Taprobanes, et innumera
bilium insularum domitrix, quam Dius Ulysses Troianae
urbis euersor, inter varios errores suos condidit, ut
Strabo et Solinus auctores sunt. quamquam Stra
bonis testimonium Laurentius Vallensis, ut solitus
erat caetera, cauillatus fuerit. Quae mihi causa ali
quando fuit, ut de Ulyssis erroribus multorum opi
niones inter sese conferrem. Equidem adduci non pos
sum, ut toto decennio circa Lestrygonas errasse illum
credam, vel in mari quod terras influit, quodque nos
tri nautae mense vno pernauigant, haesisse otiosum,
nec in Oceanum fuisse delatum, sicut et Menelaus,
qui ante ipsum multo domuitionem fecit. Nec adeo So
linum negligentem credo fuisse, ut Strabonem non
legerit, nec adeo impudenter mendacem, ut in re quae
non ita magni referebat, mentiretur. Nam quod Val
lensis de nominis ethymo argutatur, quod non scri
batur per. Y. psilon, quasi ab Ulyssse adcepta priore par
te nominis, sed per iota, et duplex, .PP. quasi ἀπὸ
τῶν ἰππῶν, idest ab equis vento genitis, ego, ut de
Y. psilo et iota facile illi concedo, ita de duplici PP. non
adscientior. Sunt enim haec multa Romanorum mo

numenta contrariū testantia, in quibus id nomen per
 O. iota, simplex. S. ⁊ simplex. P. scriptum inuenitur.
 Quin siue ab *Ulyssē Ulyssipo*, siue ab equis *Olisippo*
 dicta fuerit, permagni non interest. Nec ullus *Ulyssi-*
ponem, quasi ab *Ulyssē* dictam adfirmat, sed quam
 Strabo *Vlyssēiam* urbem dicit, eā Solinus proprio
 nomine *Olisiponem* adpellauit. Nec, si ab equis no-
 men adcepit, *Ulyssis* aedificiū statim esse desiuit. Po-
 tuit namq; idē nomē ab ipso etiā *Vlyssē* eius rei causa
 adcepisse. Nam a graecis inditum esse, Braecanica
 eius origo declinatioq; subindicare videntur. Non
 enim semper vrbes conditorū nomen obtinent. Quod
 quia palam est, nihil egit Laurentius contra *Julianū*
Felicitatē, quum etiā nobiscum faciat *Baptista Adā*
tuanus poeta non ignobilis, in *Algellarijs*. Nos etiā
 vt nostra quoq; si quid id est, adferam⁹, in *Vincētio*
martyre, quuius apud vos reliquiae corporis sacro-
 sanctae adseruantur, ita cecinimus, quū de eius trans-
 latione ageremus.

Nec desiderium prius hoc, rer inclytus armis
 Expleuit, quam vi regnis excedere *Lusi*
Logeret audaces *Tyrios*, ⁊ *Olisipo* *Christum*
Denuo iam coleret, cui tam memorabile nomen
 Numina seruabant, vt multo clarior isto
 Nunc fieret titulo, fuerat quam tempore magnum

Quo Laërtiaden iactabat, condita ab illo
Errores inter varios, variasq; procellas,
Et salis aerūnas. ⁊ enim post Ibergama victa
Quum male concordēs, nec conuenientibus aequē
Imperijs, vni nollent parere tyranno
Ductores Graium, sparsi qua quemq; vocabant
Fata sua, a patria procul errauere per aequor.
Oceano vero, praeter Aenelaon, Elysses
Turbine ventorum adpullus, vbi flexa recepat
Terra sinu pelagus, Lunae alta cacumina montis
Inter, ⁊ insigneis Leneo ⁊ Pallade colleis
Barbarios, deflexit iter, portumq; preendit.
Intima deinde sinus, cunctosq; celocere recessus
Explorans, captusq; loco, nam rura videbat
Adorigera, ⁊ caeli faciem sine nube serenam,
Hostiaq; alta Lagi, inq; vicem certamē aquarum,
Amnis vbi frustra luctatur Tethyos vndis,
Nam violenta sali postquam se colligit ira,
Adoleq; consurgēs tumidos exsuscitat aestus,
Flumen agit refluxum, longe q; per arua refundit,
Ad socios tandem redit, ⁊ subducere classē
Imperat, atq; hūemem portu contemnere saeuam.
Indigenasq; sibi vario sermone, peritus,
Deiūxit. nam lingua fere communis ⁊ illis,
At Dionysaei ductis ab origine Lusi,
Inuenta est, vrbisq; locum, si condere veller,
Luxuriumq; dabant faciles. Tum cura Aenelaonae

Dur laërte satus, comitum exorante caterua,
 Admonitumq; deae, condit sibi moenia parua
 Colle super, templumq; tibi dea maxima ꝑallas.
 Signaq; naufragij suspendit, aplustria classis
 Rostraq;, et insignis Troum gestamina parmas.
 Erroresq; suos illic, Asiaeq; ruinas
 Venturis posito signauit carmine seclis,
 ꝑalladi de ꝑhrygib. victis, Ithacensis Alysles
 Dedicat haec. urbemq; suo de nomine primum
 Finxit Odyssiam, quae nunc clarissima toto
 Cognita in orbe, ducem fama super astra ꝑelasgum
 Tollit. ea poterat securus viuere Alysles
 Inter Lusiadæ, nisi amor reuocasset amatae
 Coniugis, et patriae, gnatiq;, et cura parentis,
 Cum quibus est hominipauupertas dulcior ipsa,
 Quam quot habet Libyæ latissima iugera, seu quot
 Troesus diuitias olim, vel deniq; si cui
 Lopia rerum alij maior fuit, exsul et orbus
 Dum modo cogatur patria non viuere terra.

Haec de vestrae vrbis conditione, quamquam rudi
 carmine, decantata a nobis sunt, sicut et eius clari-
 tudinem laudesq;, multis alijs carminibus et locis tes-
 tati sumus. Multum tamen dignitatem eius et nobi-
 litatem augerent reformatæ liberalium disciplinarum
 studia, quâdo quidem videmus ignobileis aliqui
 vicos, sola eius rei gratia, in vrbis clarissimas breui

crescere, opulescere, nobilitari. Id si tua cura, scholarum rector sapientissime, si vestra opera fiat, magistri doctissimi, bona ope urbem vestram augebitis, sacro sanctae huius academiae dignitatē, et literariā remp. propagabitis, ingenuam demerebimini iuuentutem, vestrum autem nomen et existimationem aeternae memoriae, victuraeque posteritati consecrabitis.

DIXI.

Errata.

A. j. facie. ij. versu. xvj. turpissimā a deo, repone, turpem vsqz a deo.

A. iij. versu. xij. difficultatem, repone, difficultatem.


A. vij. facie. ij. versu. xvij. nobilissimam, repone, nobilissimam.


OLISTIPONE, In officina
Germani Balliardi Balli.

Mense Octobri.

M.D.XXXIIII.







S.  R.

BIBLIOTECA PÚBLICA E ARQUIVO DISTRITAL
DE ÉVORA

(PORTUGAL)

Esteve exposto na exposição de Louisa



